

solum liberum arbitrium fieri sine cooperante gratia; unde Isai., cap. 50, cum dixisset: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*, quomodo non contradixerit declarat, dicens: *Corpus meum dedi percutientibus*, et adjungit: *Dominus Deus auxiliator meus*, etc. Et ideo Augustinus, lib. de Prædestinat. sanctor., cap. 8, divinæ gratiæ efficaci tribuit quod homo non resistat, *quia ad hoc* (inquit) *datur ut cordis duritia penitus auferatur*; quod etiam habet Prosper in Carmine de ingratis, cap. 15; igitur ad non repugnandum necessaria est gratia efficax, et in illa sententia necessaria est prædeterminatio; ergo non potest constitui in potestate hominis per præviam non repugnantiam liberam, ut illa opinio confingit.

41. *Opinio circa auxilium.* — Est igitur alia opinio, dicens hoc auxilium esse in hominis potestate, media aliqua dispositione positiva, quam si homo faciat, Deus prædeterminabit ejus voluntatem ad consentiendum sufficienti vocationi ad fidem, verbi gratia, vel pœnitentiam, sicut est in potestate hominis habere a Deo gratiam habitualem, juxta illud Joan. 1: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quia est in hominis potestate habere liberam dispositionem positivam, quam si habeat, infallibiliter gratiam habitualem consequetur. Et ita videntur sentire interdum dicti auctores. Dixit enim Ledesma, in principio quæstionis, in quarto fundamento, ad finem, cum Deus movet hominem sufficienti auxilio supernaturali ad detestandum peccata, illud auxilium esse sufficientem tantum remote et mediate, respectu actualis conversionis; *nam si voluntas vellet*, in virtute hujus motionis tandem perveniret ad perfectam conversionem; ergo eodem modo potest pervenire ad recipiendam prædeterminationem, sine qua impossibile est habere actualem conversionem; cum autem dicitur: *Si voluntas vellet*, aperte significatur hoc fieri mediante aliqua dispositione libera ejusdem voluntatis. Eandem doctrinam habet Fr. Davila, cap. 7, dicens: *Si homo bene uteretur auxilio sufficienti, Deus daret illi efficacem per quod converteretur*. Idem judicat Cumel supra, disput. 4, sect. 2, concl. 5; in ejus declaratione ait, non esse dubium quin si homo, præventus auxilio excitante et sufficiente, non male illo utatur, aut non resistat, et habebit efficacem; ubi licet non dicat positive *bene utatur*, tamen, cum alias impugnet usum negativum, oportet ut per illum non malum usum aliquem bonum intelligat; satis enim male utitur

excitatione Dei, qui nihil boni per illam operatur; unde paulo inferius docet idem auctor, et bene, quod non resistere gratiæ, est consentire illi. Et iterum, in § *Unde in hac assertionem*, dicit hominem, gratia vocante et excitante præventum, habere posse auxilium efficacem, Deo adjuvante, si bene utatur prioribus auxiliis. Paulo vero inferius utrumque modum videtur approbare, dicens: *Homo non caret prædeterminatione efficaci, nisi quia resistit libere, vel opponit obicem, vel quia nihil curat de illa se divertendo, et non attendendo divinæ vocationi*. Idem repetit inferius, § *His ita prælibatis*, ubi late explicat hunc usum positivum, et in sect. 3, conclus. 7; et similia inveniuntur passim in aliis defensoribus illius sententiæ, sed illa omitto, ne et mihi et aliis molestus sim.

42. *Advertendum.* — *Assertum auctoris.* — Hanc vero sententiam impugnavi etiam in dicto c. 13, lib. 3 de Auxil., quas impugnationes iidem auctores approbarunt, Cumel, dicta disput. 4, sect. 3, in discursu conclusionis tertie; Ledesma, dicto art. 1, ad 3; Alvarez, in disput. 105, ad 6, ut manifestum sumit, auxilium efficacem non dari ex dispositione hominis libera, et a fortiori sequitur ex dictis ab ipso disput. 18, 23, 90, 91 et aliis. Ut autem veritas hæc intelligatur, et directe impugnetur illa sententia, sine tergiversatione advertendum est hic solum comparari auxilium prædeterminans, cum vocatione sufficienti, respectu unius et ejusdem actus conversionis, ad quem immediate voluntas per talem vocationem excitatur, quod ideo adverteo, quia si vocatione sufficienti ad unum imperfectum actum cum auxilio efficaci ad actum perfectum conferatur, tum recte fieri potest ut homo, cooperando priori vocationi, se disponat ad recipiendum auxilium efficacem ad perfectiorem actum; ut, verbi gratia, si quis excitatur ad fidem, et illi consentit, per illum bonum usum se disponet ut excitetur ad attritionem peccatorum, et si illam eliciat, poterit per illam disponi ad auxilium efficacem quo perfecte convertatur; hunc enim fere ordinem describit Concilium Tridentinum, sess. 6, ut in lib. 3 fuse explicatum. Imo, si quis attente consideret, in hoc progressu non disponitur homo per actum unius auxilii immediate ad illud auxilium prædeterminans, sed ad aliquam aliam excitationem ad altiorem actum, vel ad similem actum iterum meliori modo præstandum, cui excitationi aliud auxilium efficacem, vel prædeterminans interdum conjungitur ratione

prioris supernaturalis dispositionis. Quod si dicti auctores citati in prioribus locis hoc tantum intendunt, vera est doctrina per se spectata, et intellecta de auxilio efficaci, ut sic, abstrahendo a quæstione de modo illius. Non est autem hoc punctum difficultatis quam tractamus, debet enim comparari unaquæque vocatione sufficienti ad auxilium efficacem illi proxime et immediate necessarium, ut obtineat illum actum liberum et consensum ad quem proxime hominem vocat, id est, vocatione ad fidem cum auxilio efficaci ad voluntatem credendi, et vocatione ad attritionem cum ipsamet attritione, et sic de aliis. Dico ergo: si auxilium efficacem consistit in motione prædeterminante distincta ab ipsa vocatione, impossibile esse ut illud auxilium pendeat a libera hominis dispositione, quæ sit veluti media inter vocationem et auxilium efficacem, ratione cujus sit in potestate hominis habere vel non habere auxilium efficacem.

43. *Probatum.* — Probatum primo, quia vel illa dispositio est aliquis bonus usus talis vocationis, vel est aliquis alius actus: neutrum dici potest; ergo. Minor quoad priorem partem probatur, primo ex hypothesis declarata, quia bonus usus vocationis non est nisi consensus in actum ad quem proxime vocatione excitat; ergo non potest ille actus esse dispositio ad auxilium efficacem, quo consentiendum est illi vocationi, alias esset dispositio ad se ipsum, imo ad suum principium. Secundo, quia ad illum bonum usum, quicumque sit, requiritur auxilium efficacem, nam ille bonus usus actus est supernaturalis et gratiæ, unde non fit sine auxilio efficaci, juxta dicta supra, cap. 2; ergo si auxilium efficacem est prædeterminans, ille bonus usus supponit prædeterminationem; ergo non est dispositio ad illam; ergo illa prima prædeterminatio non datur ex dispositione hominis, neque hoc titulo dici potest esse in potestate hominis. De hoc autem primo auxilio efficaci ad primum bonum usum auxilii sufficientis, est sermo, ut animadverti.

44. Neque contingit hominem, per unum bonum et pium usum unius vocationis, mereri aut se disponere immediate ad auxilium efficacem ad alium actum distinctum ab illo primo usu, sed (ut dixi) per illum primum actum poterit quis se disponere ad recipiendam aliam vocationem, cum qua alium meliorem actum efficiat si velit; ergo bonus usus vocationis non potest esse prævia dispositio ad auxilium efficacem immediate necessarium ad

effectum proprium et immediatum talis vocationis. Quod si demus licentiam fingendi unam et eandem vocationem posse habere duos effectus liberos, minorem et meliorem, et per priorem posse hominem disponi ad posteriorem, et ad auxilium efficacem, necessarium ad illum, nihilominus etiam ad minimum actum necessarium erit auxilium efficacem, et in illo urgetur difficultas. Et deinde non potest cum sufficienti probabilitate affirmari, posito illo priori usu minus perfecto, infallibiliter dari auxilium prædeterminans efficaciter ad alium meliorem usum illius vocationis. Ubi enim est hæc lex vel promissio? vel qua probabili ratione id suaderi potest? Ergo etiam quoad illam partem pendebit novum auxilium prædeterminans, ex solo arbitrio Dei, quamvis ratione prioris actus habere possit aliquam congruentiam ex parte hominis; existimo tamen, ut dixi, hanc congruentiam semper esse ex parte novæ excitationis vel vocationis, non respectu auxilii efficaciis, seu prædeterminantis.

45. Neque minus certum est in principiis fidei, non posse hanc dispositionem consistere in aliquo alio actu distincto a bono usu sufficientis vocationis; nam ille actus, si non sit ex vocatione supernaturali, erit naturalis; non potest ergo esse dispositio ad donum prædeterminationis supernaturalis, præsertim cum illa dicatur esse quasi dispositio ultima, ad quam sequitur infallibiliter tale donum, quod nullo modo potest tribui actui naturali. Item, quia ad illum actum, etiamsi naturalis sit, erit necessaria prædeterminatio divina ordinis naturalis, si consequenter in illa sententia loquendum est, et ita vel ad illam prædeterminationem erit necessaria alia dispositio, et sic procedetur in infinitum, vel illa dabitur pro sola voluntate Dei, et non ex dispositione hominis. Præterquam quod explicari non potest quis sit ille actus liber voluntatis, qui et non sit bonus usus vocationis, et necessario intercedere debeat inter vocationem ad pœnitentiam, et ipsam pœnitentiam, seu prædeterminationem ad illam. Nam si illa vocatione est in suo ordine proxime sufficienti ad illum actum pœnitentiæ, ad quem excitat immediate, potest voluntas illi consentire, si velit, alias non esset vocatione proxime in suo ordine sufficienti. Nam si sufficienti est, dat potestatem in illo ordine, et alioqui homo est liber, et adjutorium est paratum ex parte Dei; ad quod ergo est alius actus necessarius?

46. Et præterea cum per vocationem non pro-

ponatur nisi pœnitentiæ objectum, et aliunde necessarium non sit, imo neque utile, neque ordinarie contingens, ut homo simul in eodem momento de aliis rebus cogitet, profecto nullus actus cogitari potest, qui necessarius sit, ut homo, post vocationem sufficientem ad pœnitentiam, auxilium efficax ad eundem pœnitentiæ actum recipiat. Tandem potest hoc optime declarari in negotio Angelorum. Nam omnes, in primo instanti suæ creationis, acceperunt auxilium efficax ad recte operandum, ut constat; in secundo vero boni Angeli habuerunt auxilium efficax sine prævia dispositione, quia illa quæ in primo instanti præcesserat, non fuerat sufficiens, alias etiam mali, qui similem dispositionem cum proportionem habuerant, ratione illius recepissent auxilium efficax in secundo instanti. Nam in secundo instanti habuerunt sancti Angeli dispositionem præviã ad auxilium prædeterminans, quia uno deliberato actu suam viam consummarunt, et ille fuit effectus auxilii efficacis; ergo talis prædeterminatio non fuit in potestate illorum ratione præviã dispositionis; ergo nec fuit in potestate aliorum Angelorum, quibus datum non est tale auxilium, quia non magis potuerunt ad illud se disponere quam boni Angeli. Idem ergo est in hominibus, nam cum proportionem potest idem discursus applicari.

## CAPUT XI.

## COROLLARIA, QUIBUS RATIO AB INCOMMODO DISTINCTIUS CONCLUDITUR.

1. *Corollarium primum.*—Ex toto ergo hoc discursu concludo imprimis non posse dici consequenter in illa sententia de auxilio efficaci prædeterminante, quod ex parte Dei offeratur illis quibus post sufficientem vocationem non datur. Probatur, quia si offeratur, certe per voluntatem Dei offertur, et per aliquam legem et promissionem; nam tale auxilium, sicut non datur a Deo nisi libere et voluntarie, ita non nisi eadem libertate offerri potest; si ergo offertur, per aliquam voluntatem offertur; aut ergo per voluntatem absolutam, aut per conditionatam, seu antecedentem; non per absolutam, quia voluntas Dei absoluta semper impletur, et facit quod vult; si ergo tale auxilium offertur per voluntatem absolutam, datur; ergo, e contrario, quibus non datur, neque etiam offertur per voluntatem absolutam. Neque etiam offerri potest per con-

ditionatam voluntatem. Quæro enim quæ sit illa conditio sub qua offertur; oportet enim quod sit conditio contingens et dependens a libero usu voluntatis, nam si esset conditio impossibilis, nulla et ridicula esset oblatio; si necessaria, transiret voluntas in absolutam; ergo esse debet conditio contingens, et non aliunde quam ex voluntate hominis; ergo esse debet pendens ab usu libero voluntatis. At hoc dici non potest, quia ille usus nec positivus esse potest, nec negativus, uterque enim exclusus est, et ab eisdem auctoribus improbat, ut vidimus: ergo repugnantia sunt hæc duo, scilicet quod Deus ex se offerat illud auxilium, et quod non pendeat ex libero usu recipientis, positivo vel negativo.

2. *Corollarium secundum.*—Secundo infero, juxta illam sententiam, dici non posse hominem sufficienter vocatum ad fidem, verbi gratia, et carentem auxilio prædeterminante, sua culpa carere efficaci auxilio, prout sæpe repetit Cumel, disp. 4, sect. 2, cap. 5, prope finem, et aliis locis allegatis; et Alvarez, supra, ad disp. 18, num. 20, dicit esse in potestate hominis impedire ne habeat illam motionem, et ideo, quando non implet præceptum, ei imputari, eo quod sua culpa se impedivit ne daretur ei auxilium efficax. Idem repetit disp. 23, num. 11, et sæpe alias. Dico ergo hoc non dici consequenter in illa sententia, et probo ex proxime dictis, quia hæc culpa supponit quod tale auxilium offeratur a Deo sub aliqua conditione, quam homo sua culpa non ponit. Et ideo Alvarez, disp. 61, ad 7, etiam ait offerre Deum omnibus auxilium efficax, et ex aliquorum culpa procedere quod tale auxilium efficax non recipiant. Sed ostensum est tale auxilium non offerri quibus non datur; ergo non caret illo sua culpa, sed quia Deus non vult dare. Item hæc culpa supponit quod homo, post vocationem sufficientem, possit ponere obicem quo impediatur sibi dari tale auxilium, ut in his locis proxime citatis dicti auctores fatentur. Ostensum est autem nullum esse talem obicem, quia nec positivus neque negativus esse potest, etiam ex sententia illorum auctorum, ut ostendi; ergo falsa est assertio talis culpæ, et non consequenter assertur. Item illa culpa supponit quod tale auxilium pendeat ex aliqua dispositione libera suscipientis. At hoc ipsum improbant dicti auctores, et merito, ut visum est; ergo dicere non possunt, quando non datur, ob culpam hominis non dari. Major probatur, quia si aliqua culpa ibi intercedit, libere committi debet; ex

illa autem pendet quod tale auxilium detur; ergo pendet ex libera dispositione recipientis. Sicut effectus Sacramenti in adultis, ideo potest per culpam suscipientis non recipi, quia pendet ex libera dispositione recipientis: in parvulis vero impediri non potest, quia a libera illorum dispositione non pendet.

3. *Adducuntur alia incommoda, ex quibus ratio distinctius concluditur.*—Præterea interrogo qualis sit illa culpa: aut enim est aliqua prior propter quam Deus negat auxilium efficax, vel est aliqua quæ specialiter committitur ponendo obicem seu impedimentum auxilio efficaci, ut non detur. In hoc enim valde obscure loquuntur dicti auctores, confundendo duas quæstiones, quas supra distinximus, quarum una est de auxilio efficaci non dato antecedenter, ut sic dicam, seu in radice, quia non datur sufficiens; altera est de auxilio efficaci non dato in se et immediate, supposito jam sufficiente. Unde Pater Alvarez, disp. 113, concl. 2, indistincte dicit, quoties Deus, pro loco et tempore, non dat auxilium sufficiens vel efficax ad fidem, pœnitentiam, etc., semper id esse in pœnam peccati, vel originalis, vel alterius, sive præcesserit tempore, sive tantum ordine naturæ; et eodem modo ait, in solut. ad 5, neminem deseri a Deo quoad auxilium efficax, nisi prius ipse deserat Deum per aliquod peccatum, originale, vel mortale; et de justo ait quod, in exercitio, prius deserit Deum peccando, quam Deus eum privet auxilio efficaci. Quæ quidem magna ex parte possunt habere locum si de priori quæstione tractaremus, conjungendo auxilium efficax sufficienti, et considerando immediatam rationem ob quam de facto non datur auxilium sufficiens, quod quidem adultis omnibus offertur, et ideo non negatur de facto nisi ob aliquam culpam vel causam ex parte hominis, ut in libro præcedenti late dictum est. At vero, tractando præcise de negatione seu non collatione auxilii efficaci solius et immediate, ac supposita sufficienti vocatione, prout nunc quæstionem tractamus, non habet locum illa doctrina in sententia asserente hoc auxilium efficax consistere in physica prædeterminatione; ita enim loquimur.

4. *Hoc auxilium nunquam posse negari propter solum peccatum originale, vel habituale, etc.*—Et imprimis jam ostendi hoc auxilium nunquam posse negari hoc modo propter solum peccatum originale, vel habituale, seu actuale prius tempore commissum, quia, eo ipso quod, non obstante præcedente peccato,

datur sufficiens vocatio, necesse est, juxta ordinatam providentiam, ut omne auxilium necessarium ad sequendam vocationem offeratur ex parte Dei, et non negetur propter solum peccatum præcedens, seu in habitu præexistens. Et confirmatur, quia, non obstante præcedenti peccato, homini non imputatur ad novam culpam quod non sequatur vocationem propter denegationem necessariæ auxilii. Denique certum est carentiam talis auxilii non posse semper reduci in culpam prius tempore commissam, vel contractam: nam Angeli, qui in secundo instanti ceciderunt, in illo caruerunt auxilio efficaci, et tamen in illis nulla culpa præcessit. Idemque est de Adam et Eva in primo instanti, quando in Paradiso peccaverunt. Nunc etiam parvulus baptizatus qui, perveniendo ad usum rationis, in primo actu moraliter peccat, non recipit auxilium efficax ad illud vitandum, et non propter originale peccatum, quia jam fuit remissum.

5. Cum ergo auxilium efficax sine præcedenti peccato non detur, signum est illam non esse causam propriam ob quam negatur. Nec etiam est adæquata; dat enim frequenter Deus auxilium efficacissimum ei qui in toto tempore præcedenti in peccatis fuerat, vel etiam immediate antea actualiter peccabat, ut forte in bono latrone, et Paulo, et aliis similibus contigit. Ergo ex præcedenti culpa nulla causa sumitur negandi auxilium efficax, maxime illi qui sufficienter in præsentem vocatur, non obstanti priori culpa.

6. *Illam culpam non potest esse commissam in eodem instanti temporis in quo auxilium prædeterminans denegatur.*—Deinde nec illa culpa potest esse commissam in eodem instanti temporis in quo auxilium prædeterminans denegatur, quia vel esset prius natura quam intelligatur voluntas hominis determinata vel prædeterminata ad hanc vel illam partem, vel esset simul aut posterius natura; nihil horum dici potest cum probabilitate; ergo. Minor quoad primam partem declaratur et probatur, quia in instanti temporis in quo voluntas velle incipit, duo tantum signa distinguunt Theologi omnes, unum est status indifferentiæ ipsius voluntatis, in quo intelligimus in illa negationem omnis actus et determinationis; secundum est signum vel instans in quo jam voluntas est determinata ad alteram partem; sed in neutro illorum intelligi potest illa culpa, ob quam negetur prædeterminatio; et tertium adderetur sine fundamento: ergo nullo modo potest illa culpa prævia pro eodem